

Ventorum origines & φαινόμενα non satis
explicantur per varios vaporum at-
que exhalationum motus.

Ventorum Æoliam patriam, Boreæque sonoras
Vifet Musa domos, ubi tempora cana vaporū
Molli nube tegens, montanā mugit in aulā
Æolus, & rapidis lacerat rabiosa flagellis
Agmina ventorum, cum turbine cœrula volvunt.
Tu tantum Rex magne fave, & penetralia regni
Pande precor nimboſa tui, Zephiriſque ſub alis
Da muſa ut liquidi tranet confinia mundi,
Eurus inexhaustos pulmones unde fatigans
Halitibus, mediam roranti murmure Zonam
Verrit, & aſſiduo Phœbeos temperat ætus
Flamine: ſulphureos terra ut referante caminos,
Oceanus ſœtas nubes ebullit, & udas
Ventorum extendit nitroſo vortice buccas.
Ut molli exultans Zephyrus ſpiramine, Phœbi
Occidui demulcet equos, pronosque jugales
Lenior aura premit: vultu flagrantior alto
Forſan lambit aquas, toſtoſque immergit in undis
Crines, & radios calidi dum pendula ſtringit
Unda dei, Heſperias, Phœbo duce, ventilat oras.
Exquiram ut gelidis Boreas effuſus ab antris
Sævit, & attonitum inſano circumvolat orbem
Murmure; num canos, Phœbo propiore, capillos
Diſſolvit Rhodepe, & plenam ſale ſollibus auram
Præbuit; aut fractæ, irato Jove, fulmine nubes
Aerium Oceanum turbant, preſſoſque vapores
Convolvunt, axemque immenſo turbine quaſſant.
Ut gravis imbriferis pluviâs Notus exculit alis,
Et piceâ obductus vultum caligine nubes
Pronus agit, cœcoque volumine fundit aquarum
Congeriem; an nimbis barbâ nebuloſus Orion
Diſtendens, vultu fatali concitat Auſtros,
Unde Magellanicis late furibundus in undis
Typho rapit naves, celeri & vertigine frangit.
Forte quidem Oceani ſpumantia viſcera ventus
Sulphureus penetrat, fundoque exæſtuat imo:
Cedite Mechanici ſcriptores; ſola Tonantis
Dextra regit ventos certo & moderamine frænâ.
Spiritus ipſe Dei eſt, & non fine Numine ventus
Exoritur; fruſtra Natura incendia miſcens
Viſcera telluris pandit, tepidoſque paludes
Exſudant fumos, fruſtra & tu Phœbe, laboras.

E R G O,

Explicat haud varios ventos natura vaporum,
Sed cauſa extraxit divina, eademque gubernat.

6
Distinctio Sonorum optime ſolvitur per
peculiares aeris particulas.

Muſicæ blandum placidumque numen;
Turba quam plectris modulans canoris
Circuit, ſemper rapido & voluptas
flumine inundat:

Seu tuis vernat modulis cacumen
Theſpiæ rupis, liquidive Pindi
Fluctibus, caſiâ aut Heliconis almi
ludis in undis:

Seu Deos plectro madidos potenti
Jam moves, ſævas Stygiæ aut paludis
Mitigas pœnas, furiaſque molli
carmine mulces:

Diva jam curru rapido volantes
Pervola campos Zephiri, referque
Unde diverſo modulatur aura
murmure cantus;

Unde tam molli liquidus tumultu
Aer exultat, patiturque motus,
Vortice & circum levis undulanti
ſtringitur auræ:

Unde Grantanæ meliore muſæ
Numine inflantur, fragor unde dulcis
Vicit hic ſphæras, ſuperosque jam de-
duxit ab aſtris:

Mentis ut duros vigilis labores
Conſopis plectro modulante, nigram
Sæpe curarum & ſeriem reclinas
murmure dulci:

Forte ſed filo quatiente, tantum
Aeris textura ſalina circum-
-volvitur, partes tremulæque ſenſus
Ordine pulſant:

